

*Simili modo* etc., pollices et indices leviter confricans super os Calicis abstergit, non ad marginem sed in medium, ut si aliqua fragmenta Hostiae digitis adhaerint, in Calicem decidant.

756. Ad verba *accipiens et hunc praeclarum Calicem* etc., Calicem ambabus manibus accipit, ita tamen, ut pollices et indices coniuncti ex parte anteriori, reliqui vero digiti manuum ex parte posteriori Calicem inter nodum et cuppam teneant; illum aliquantum super Corporale elevat ac statim dimittit, quin tamen manus amoveat, prosequens verba *in sanctas ac venerabiles manus*; ad *tibi gratias agens*, caput inclinat versus Hostiam consecratam; ad *benedixit*, sinistra Calicem tenens, iunctis tamen semper duobus digitis, dextera illum benedicit.

757. Peracta Cruce, Celebrans Calicem modo num. praeced. indicato ambabus manibus accipit, et post verbum *dicens* cubitos super Altare ponit, caput inclinat, ac tenens eum paululum elevatum, non studiose ad se conversum, digitis manus dexterae ad nodum ligatum, digitis liberis sinistrae pedem sustinens, profert verba consecrationis: *Hic est enim Calix* etc. eadem gravitate ac praecisione, ut dictum est de consecratione Hostiae, nec nec nares in ipsum immittens.

758. Post consecrationem Calicem in medio Corporalis ponit, se erigit prosequens verba *Haec quotiescumque* etc., genuflectit, adorat, surgit, Calicem manu dextera ad nodum, sinistra ad pedem accipit, elevat recta linea super Corporale, ut a populo videatur, comitans eum oculis suis; postea eum dimittit, super Corporale ponit, palla tegit, genuflectit ac surgit.

759. Plura hic advertenda sunt; primo, caveat Sacerdos, ne in elevatione Calicis, vel alia quacumque actione, Manipulo Hostiam tangat aut in terram cadere faciat. Secundo, quod post Consecrationem usque ad digitorum ablutionem, quando manus super Altare ponendae sunt, semper intra Corporale<sup>1</sup> ponantur, et non super oram Altaris, ut iam n. 472 dictum est. Tertio, quoties digitis S. Hostia tangitur, illos super Calicem, ut supra n. 755 dictum est, abstergat. Quarto denique prudens est, digitis liberis manus sinistrae Calicis pedem tenere, quoties dextera circa illum occupatur in tegendo, detegendo, etc. etc.

§ VI. — *A fine Consecrationis usque ad Communionem.*

760. Celebrans nunc disiunctis et ante pectus expansis manibus, atque aliquantulum ad Missale conversus, dicit: *Unde et memores* etc.; post verba *de tuis donis ac datis*, iungit manus ante pectus, et sinistra super Corporale posita, dextera ter super Hostiam et Calicem simul Crucem facit dicens: *Hostiam* ☩ *puram, Hostiam* ☩ *sanctam, Hostiam* ☩ *immaculatam*; deinde, quin tamen prius manum dimittat, signat semel super Hostiam dicens: *Panem* ☩ *sanctum vitae aeternae*, et semel super Calicem: *et Calicem* ☩ *salutis perpetuae*.

761. Quin manus iungat, iam vero illis more solito ante pectus extensis, prosequitur: *supra quae propitio* etc. Deinde profunde inclinatus, iunctis ac super

<sup>1</sup> Rubric. Missal. De Ritu celebrandi Missam, t. X, n. 1; et S. Rit. Cong. 7 Sept. 1816.

oram Altaris et non intra Corporale positus manibus <sup>1</sup>, dicit: *Supplices te rogamus etc.*, et cum dicit: *ex hac Altaris participatione*, manus more solito super Corporale <sup>2</sup> ponit, Altare osculatur in medio, cavens, ne Hostiam ore vel fronte tangat; se erigit, et dicens: *sacrosanctum Filii tui*, iungit manus et sinistra super Corporale posita, dextera Crucem super Hostiam agens, dicit *Cor* ☩ *pus*, et super Calicem et *San* ☩ *guinem sumpserimus*, et cum dicit: *omni benedictione coelesti*, dextera se ipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus, et prosequitur: *et gratia repleamur*. Ad *Per eundem Christum etc.*, absque capitis inclinatione manus iungit.

762. Cum dicit *Memento etiam, Domine etc.*, absque oculorum et vocis elevatione manus more solito extendit; ad verba *in somno pacis*, illas ante pectus iungit, iunctas elevatasque usque ad faciem tenet, dum recordatur Defunctorum, quorum recordari in specie intenderit; quo tempore caput aliquantulum inclinatur, et oculos defixos tenet ad SS. Sacramentum, advertens quod n. 749 dictum est. Deinde caput erigit, manibusque extensis prosequitur: *Ipsis, Domine etc.* usque ad *Per eundem Christum etc.*, quae verba proferens, manus iungit et caput simpliciter inclinatur versus SS. Sacramentum <sup>3</sup>.

763. Ad verba *Nobis quoque peccatoribus*, quae voce parum elata profert, sinistra super Corporale posita, dextera, seu tribus digitis liberis dexterae extensis pectus sibi leviter et nullatenus inclinatus percutit. Re-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816, ad 35.

<sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> De Rit. celebr. Missam, t. IX, n. 2.

liqua vero voce secreta et manibus extensis dicit. Ad *Per Christum etc.*, iterum manus iungit ante pectus. Ad nomina Sanctorum, qui in hac Oratione commemorantur, si eorum dies agatur, caput inclinatur, ut alibi dictum est <sup>1</sup>.

764. *Amen* in praefata Oratione non dicitur, sed immediate Celebrans prosequitur: *Per quem etc.*; ad verbum *creas*, sinistram manum ponit super Corporale, dextera vero signatur ter super Hostiam et Calicem simul, dicens: *sancti* ☩ *ficas, vivi* ☩ *ficas, bene* ☩ *dicis et praestas nobis*; deinde discooperit Calicem, genuflectit, assurgit, dextera S. Hostiam reverenter accipit, tenens sinistra Calicem ad nodum, signatur cum Hostia ter a labio ad labium Calicis, quin tamen Calicem tangat, dicens: *Per ip* ☩ *sum, et cum ip* ☩ *so, et in ip* ☩ *so*; postea eodem modo tenens sinistra Calicem, dextera inter Calicem et pectus linea recta super Corporale bis formans Crucem, dicit: *est tibi Deo Patri* ☩ *omnipotenti, in unitate Spiritus* ☩ *sancti*; deinde tenens Hostiam super os Calicis, quin Calicem sinistra relinquat, parum elevat Calicem cum Hostia, dicens: *omnis honor et gloria*, reponit Hostiam, tum digitos in Calicem extergit, cooperit Calicem, genuflectit, surgit et dicit intelligibili voce, manibus hinc inde super Corporale positus:

<sup>1</sup> Festa Sanctorum, qui hic in Canone nominantur, celebrantur: S. Ioannis Bapt. 24 Iun., Stephani Protomar. 26 Dec., Mathiae Apost. 24 Febr., Barnabae Apost. 11 Iun., Ignatii Ep. M. 1 Febr., Alexandri Pap. et Mar. 3 Maii, Marcellini M. et Petri Exorcistae 2 Iun., Felicitatis et Perpetuae 7 Mart., Agathae 5 Febr., Luciae 13 Dec., Agnetis 21 et 28 Ianuar., Caeciliae 22 Nov., Anastasiae 25 Dec. (S. Rit. C. 27 Mart. 1824, not. Gard.)

765. *Per omnia saecula saeculorum.* Responso *Amen* a Ministro, iungit manus, et caput inclinans versus SS. Sacramentum, dicit intelligibili voce *Oremus*; tunc erecto corpore et capite, tenens manus iunctas ante pectus, eadem voce prosequitur: *Praeceptis salutari-*  
*bus* etc. Ad *Pater noster*, manus extendit ante pectus et oculos ad Sacramentum intendit.

766. Sub *Et ne nos inducas in tentationem*, manus dimittit, et responso a Ministro *Sed libera nos* etc., submissa voce dicit *Amen*; deinde sinistram imponit Corporali, dextera vero, quin tamen pollices et indices disiungat, Patenam de Corporali subducit, illam sinistra manu tenens, purificatorio dextera abstergit.

767. Postea Patenam accipit inter indicem et medium digitum subtus palmam, erectam prope et non super Corporale, ita tamen, ut pars concava Corporale respiciat, et sinistra super Corporale posita dicit secreto: *Libera nos, quaesumus* etc.; post verba *et omnibus Sanctis*, signat se cum Patena a fronte ad pectus et humeros, sinistram tenens subter pectus, dicens: *da propitius pacem*; deinde eandem Patenam osculatur non in medio sed in extrema parte superiori<sup>1</sup>, et prosequens Orationem, submittit Patenam Hostiae, quam indice sinistro super Patenam accommodat, et hanc super Corporale ponit, parte superiori pede Calicis innixa; discooperit Calicem, genuflectit, surgit, et digito sinistrae manus leviter Hostiam premens in inferiori parte, ducit ad dexteram versus Patenae extremitatem, accipit dextera Hostiam inter pollicem et indicem, et cum illis

<sup>1</sup> S. Rit. C. 24 Iulii 1683, in Albig. ad 1.

et pollice et indice manus sinistrae illam tenens supra Calicem reverenter per medium frangit linea recta, incipiens a parte superiori ad inferiorem, dicens: *Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, caput inclinat, bene curans, ne fragmenta Hostiae extra Calicem exeant.

768. Hostia sic divisa, partem, quae nunc in dextera est, ponit super Patenam; de dimidio, quod in sinistra remansit, frangit ex inferiori parte<sup>1</sup> particulam, dicens: *qui tecum vivit et regnat*: et tenens hanc particulam manu dextera super ore Calicis, sinistra alteram partem Hostiae super Patenam ponit prope aliam, ita ut Hostiae rotunditas servetur, dicens interea: *in unitate Spiritus sancti Deus*.

769. His peractis, sinistram ponit ad nodum Calicis, illum inter pollicem et indicem coniunctos et medium digitum tenens, ac dicit elata voce: *Per omnia saecula saeculorum.* Responso *Amen* per Ministrum, cum ipsa particula, quam manu dextera tenet, signat ter super Calicem a labio ad labium dicens: *Pax ☩ Domini sit ☩ semper vobis ☩ cum.* Et responso a Ministro *Et cum spiritu tuo*, particulam ipsam immittit in Calicem, dicens secreto: *Haec commixtio et consecratio* etc., ad nomen *Iesu* caput inclinans.

770. Absoluta Oratione, et non antea<sup>2</sup>, digitos super os Calicis abstergit modo supra indicato, cooperit Calicem, genuflectit, surgit et inclinatus Sacramento, iunctis inter pectus et Altare manibus, minime vero super illud positus, dicit alta voce: *Agnus Dei* etc., ac statim

<sup>1</sup> S. Rit. C. 4 Aug. 1663, in una Dalmat. ad 6.

<sup>2</sup> De Rit. celebr. Missam, t. X, n. 2.

sinistram ponit super Altare, dextera percutiens sibi pectus digitis liberis extensis, dicens *miserere nobis*, ac sinistra semper eodem modo posita repetit *Agnus Dei* secundo et tertio, sibi aequaliter pectus percutiens ad *miserere* etc. ac *dona nobis pacem*.

771. Post unamquamque pectoris percussione, Celebrans dexteram ita lente moveat, ut quiescendi spatium non sit, non autem illam super Corporale ponat.

772. In Missa de Requie pectus non percutitur, nec manus super Altare ponuntur, sed ante pectus iunctae tenentur, ac loco *miserere nobis* etc. dicitur prima et secunda vice *dona eis requiem*, tertia vero *dona eis requiem sempiternam*.

773. Deinde iunctis manibus super oram Altaris, et non supra Corporale, manens inclinatus ut ad *Agnus Dei*, tres Orationes ante Communionem secreto recitat (quarum prima in Missa Defunctorum omittitur), intentis oculis in Sacramentum.

774. Absolutis tribus Orationibus, se erigit, genuflectit, et surgens dicit: *Panem coelestem accipiam* etc. Quo dicto binas partes Hostiae indice manus sinistrae ad superiorem partem Patenae ducit et in inferiori parte aliquantulum premit, illasque pollice et indice dexterae in superiori parte maxima reverentia accipit, et inter pollicem et indicem sinistrae manus ita ponit, ut forma Hostiae rotunda appareat; simulque Patenam S. Hostiae supponit inter indicem et medium digitum eiusdem sinistrae.

775. Paululum nunc inclinatus, quin tamen cum brachio sinistro Altari innitatur, et quin se hinc aut inde vertat, sed recto ad Altare versus ac tenens S. Ho-

stiam elevatam super Corporale paululum inter se et Calicem, ita ut non ostendat populo; ter dicit voce media devote et humiliter: *Domine, non sum dignus*, percutiens sibi simul pectus manu dextera, ut n. 771; reliqua verba *ut intres* etc. dicens secreto.

776. His peractis, se erigit, pollice et indice manus dexterae utramque partem Hostiae, adjuvantibus pollice et indice sinistrae, accipit, et ut commodius illam sumere possit, partem quae ad dexteram sui est alteri superimponit; deinde sumens utrasque partes in parte inferiori manu dextera, se signat cum Hostia super Patena sed inter eius limites, dicens: *Corpus Domini nostri Iesu Christi* etc., mediocriter se inclinatus, cubitos orae Altaris imponit, S. Hostiam reverenter sumit, sinistra Patenam super Corporale elevatam tenens, quin Hostiam diutius in ore teneat, ne inter palatum et linguam aut dentibus adhaereat. Ad nomen *Iesu Christi* caput inclinatur<sup>1</sup>.

777. Celebrans nunc Patenam deponit super Corporale, Calicis pede innixam, digitos super illam abstergit, manus iunctis tamen pollicibus et indicibus ante faciem, quin illam tangat, iungit, et sic in meditatione SS. Sacramenti paulisper remanet.

778. Brevi meditatione peracta, manus disiungit dicens: *Quid retribuam Domino* etc., et sinistra super pedem Calicis posita, dextera Calicem discooperit, genuflectit, surgit, dextera Patenam accipit inter indicem et medium ea in parte, quam Hostia non tetigit, omni diligentia Corporale inspicit, illudque sinistra modice

<sup>1</sup> S. Rit. C. 24 Septemb. 1842, in una Neapolit.

elevans fragmenta colligit, quin Calicem e loco suo moveat; postea Patenam super Calicem ipsa dextera ducit, transmittit in manum sinistram, qua illam eo loco, quo dextera eam tenebat, accipit inter indicem et medium, indice et pollice dexteræ Patenam abstergit et fragmenta collecta diligentissime ac devotissime in Calicem mittit, ac dein duos digitos non in ore Calicis, sed super ipsum Calicem abstergit.

**779.** Post haec manum sinistram, qua Patenam tenet, super Corporale ponit, dextera Calicem infra nodum inter iunctos pollicem et indicem et alios digitos liberos accipit, dicens: *Calicem salutaris accipiam* etc., illum ad altitudinem oculorum elevat linea recta, cum ipso se Cruce signat ut supra cum Hostia, dicens: *Sanguis Domini nostri Iesu Christi* etc., inclinans caput ad nomen *Iesu*. Post haec stans erectus, et manu sinistra tenens Patenam sub Calice prope ad mentum, reverenter SS. Sanguinem sumit una cum particula Calici immissa.

**780.** SS. Sanguis sumatur, quin Calix a labiis amoveatur ob periculum effusionis; cavebitque Celebrans in sumptione Sanguinis, ne pedem Calicis nimium elevet, ita ut etiam a populo videri possit, et ne cum quodam impetu et sibilo SS. Species sumat.

**781.** Si post sumptionem Sanguinis particula Hostiae in imo Calicis remaneat, illam indice dexteræ ad os Calicis ducat et labiis sumat ante purificationem, vel melius infundat vinum et sumat <sup>1</sup>.

**782.** Celebrans post sumptionem, sinistram cum Patena super Corporale ponit, dextera, quin tamen me-

<sup>1</sup> Benedict. XIV, De Sacrif. Missae, l. 3, c. 17.

dium Altaris deserat, Calicem Ministro porrigit, ut vinum pro purificatione infundat, dicens secreto: *Quod ore sumpsimus* etc.; deinde Calicem levi agitatione circumagit, ut dispersae colligantur Species, et tenens Patenam eodem modo, ut supra dictum est, sub mento, purificationem ex eadem parte Calicis sumit, per quam iam sumpserit SS. Sanguinem; Patenam apertam seu detectam in anteriori parte Corporalis, Calicem vero in medio deponit, pollices et indices utriusque manus ori Calicis imponit, reliquis digitis cuppam apprehendit, in cornu Epistolae vadit, Calicem tenens intra mensam Altaris, non extra, nisi Minister nimis parvus sit, ubi Ministrans vinum et aquam super pollices et indices Calici infundit: quos Celebrans leviter confricat, interim dicens: *Corpus tuum, Domine*, etc.

**783.** Ablutis digitis, semper eodem modo tenens Calicem, illum defert prope Corporale ibique reponit, digitos aliquantulum super Calicem excutit, purificatorium indice et pollice manus dexteræ sumit, pollici et indici sinistrae, quae adhuc super Calicis ore quiescit, imponit, digitos abstergit viam faciens ad medium Altaris.

**784.** Digitis nunc abstersis et disiunctis, dextera manu Calicem accipit, ablutionem sumit, purificatorium sinistra tenens sub mento modo quo antea Patenam. Postea Calicem in medio Corporalis deponit, purificatorio primo labia abstergit, dein illud plicatum super os Calicis ponit, digitis manus dexteræ cuppae intramittit, Calicem abstergit, tenens illum in ima cuppa et in gyrum agens manu sinistra.

**785.** Abstersum Calicem sinistra extra Corporale ponit in cornu Evangelii, purificatorium totum vel sal-

tem ad medium explicatum super illum extendit, deinde manu dextera primo Patenam, ac dein pallam superimponit. Postea utraque manu Corporale, prout iacet, super Altari plicabit, bursam sinistra accipiet, et rectam sustinebit super Altare, eam aliquantulum comprimens, ut facilius dextera Corporale in ipsam immittat.

786. Relinquens bursam super Altari, dextera velum accipit et utraque manu Calici imponit; bursam superimponit, apertura ad Celebrantem versa; sinistra Calicem accipit, dextera posita super bursam, in medio Altaris ponit, et utraque manu velum ita disponit, ut totam partem anteriorem Calicis cooperiat.

§ VII. — *A Communionem usque ad finem Missae.*

787. Sacerdos postquam Calicem cooperuerit, iunctis manibus vadit in cornu Epistolae, et Communionem legit; eodem modo in medium Altaris venit, et eo osculato, more solito dicit *Dominus vobiscum*, sine mora ad Missale redit, et dicit *Oremus* et Postcommunionem, seu Postcommuniones, si plures sint, uti dictum est de Collectis num. 506 et seq.

788. Dicta ultimae Orationis conclusione, Missale claudit (nisi in eo legendum sit ultimum Evangelium), ita tamen, ut apertura medium Altaris respiciat, et hoc semper est servandum, quamvis statim alia Missa subsequatur.

789. Celebrans postea in medium Altaris revertitur, Altare osculatur, dicit *Dominus vobiscum*, et iunctis manibus versus populum *Ite Missa est*.

790. In Missis, in quibus loco *Ite Missa est* dicitur aut *Benedicamus Domino* aut *Requiescant in pace*, Celebrans post *Dominus vobiscum* se vertit ad Altare, et stans versus ad illud, iunctisque manibus ante pectus dicit: *Benedicamus Domino* aut *Requiescant in pace*.

791. Conversus ad Altare, mediocriter inclinatus et positus manibus super mensae frontem seu oram Altaris, dicit secreto *Placeat tibi* etc.; deinde more solito Altare osculatur, se erigit, oculos ac manus ad coelum elevat, manus extendit, iungit, caput Cruci inclinatur intelligibili voce dicens: *Benedicat vos omnipotens Deus*; ad populum se vertit, iunctis ante pectus manibus oculisque dimissis, et sinistra infra pectus extensa, dexteram extensis ac iunctis digitis elevat et populum benedicit, dicens: *Pater et Filius*, dimittens manum in linea recta usque ad pectus, et *Spiritus* manum ad sinistrum, et cum dicit *sanctus* ad dexterum movet. Cui Minister respondet *Amen*.

792. In Missa pro Defunctis, haec benedictio omittitur.

793. Post *Amen*, Celebrans, iunctis manibus ante pectus, circulum perficit in cornu Evangelii, ac dicit *Dominus vobiscum*, et responso a Ministro *Et cum spiritu tuo*, sinistram extendit super Altare, pollice vero dexterarum primo Altare vel tabellam (vulgo cartagloria), deinde seipsum in fronte, ore et pectore Cruce signat, dicens: *Initium S. Evangelii* etc., manus iungit, Evangelium prosequitur; ad *Et Verbum caro factum est*, more solito genu dextero genuflectit versus cornu Evangelii, surgit, manus iungit, Evangelium usque ad finem re-

citatur, ac deinde dicto a Ministro *Deo gratias*, in medium Altaris manibus iunctis redit.

794. In Missa pro Defunctis, cum populus non benedicatur, absoluto *Placeat tibi* etc., osculato prius Altari, immediate sine circulo ad cornu Evangelii vadit Evangeliumque recitat.

795. Cum Evangelium ex Missali, quod medium Altaris aliquantulum respiciat, legitur, loco *Initium S. Evangelii* etc. dicitur: *Sequentia* (vel etiam *Initium*) *S. Evangelii* etc., et cum Sacerdos hoc dicit, sinistram Missali imponit et pollice dexteræ primo initium Evangelii, deinde seipsum, ut supra, Cruce signat. In fine textum Evangelii non osculatur, sed statim manu dextera librum claudit.

796. Celebrans reversus in medium Altaris, anteriorem partem veli super bursam reflectit, manu sinistra Calicem ad nodum accipit, dexteram bursae imponit, ac sine inclinatione se convertit a parte Epistolae, et retrahens se paululum ad cornu Evangelii, descendit gradus Altaris ac in plano profundam facit Altari inclinationem, aut genuflexionem<sup>1</sup>, si SS. Sacramentum ibi asservatur (vide n. 702); caput cooperit, eodem modo, quo ad Altare venerit, in Sacristiam redit, et viam faciens dicit Antiphonam *Trium puerorum* cum Cantico *Benedicite* et Psalmo *Laudate Dominum in Sanctis eius* etc.

797. Memorata Antiphona duplicatur in festis duplicibus, non vero in semiduplicibus aut quando fit de Feria. *Alleluia* adiungitur tempore paschali.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Nov. 1831.

798. Sacristiam ingressus capite cooperto, ante Crucem aut imaginem insignem (Vid. n. 694) se inclinat, Calicem in loco suo reponit, sacra vestimenta adiuvante Ministro deponit, incipiens a Planeta, deinde Stolum, Manipulum, deosculans Crucem parvulam in eorum parte externa, Cingulum, Albam, extrahens primo brachium sinistrum ex manica, cum quo Albam sublevat, super caput et humerum dexterum elevat, denique brachium dexterum e manica trahit. Priusquam Amictum Ministro tradat, Crucem in medio eius osculatur.

799. Demum manus lavat et abstergit<sup>1</sup>, et in loco ad hoc destinato gratiarum actionem facit aut ex tabella, quae in hunc finem in omnibus Sacristiis habetur, aut ad suum arbitrium, dummodo devote, religiose et per congruens temporis spatium.

## CAPUT II.

### DE SPECIATIM SERVANDIS IN QUIBUSDAM MISSIS PRIVATIS.

#### § I. — De Missis ferialibus in festo S. Marci, diebus Rogationum, Quatuor Temporum et Quadragesimae.

800. In festo S. Marci et diebus Rogationum Missa Stationis est de praecepto<sup>2</sup>, etiam, si festum S. Marci transferatur, aut hoc festum occurrat in Dominicis, in Octava Paschatis et in quocumque festo<sup>3</sup>, aut unica tantum dicatur Missa in Ecclesia.

<sup>1</sup> Non per modum praecepti, sed convenientiae. S. Rit. C. 12 Aug. 1854.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 12 Nov. 1831, ad 37.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 16 Apr. 1853.